MASTER NEGATIVE
NO. 93-81335-6

AUTHOR:

BERGK, THEODOR

TITLE:

THESSALIAE ALIQUOT INSCRIPTIONES

PLACE:

HALAE

DATE:

[1865]

Master Negative #

93-81335-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dissertation

Bergk, Theodor. 1812-81.
Thessaliae aliquot inscriptiones.
Halae [1865]. Sq.Q. 8p.
Academic dissertation at Halle (Ger.) university.

No. 1 of a v. of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-28-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



Contents.



VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
VTRIVSQVE HALIS CONSOCIATAE
RECTOR ET SENATVS
LATINAM ORATIONEM

BENEFICII MARPERGERIANI LEGE

A

MAXIMILIANO SIEWERT
PHIL. DR.

D. XXX. M. MAII A. MDCCCLXV.
HORA XI – XII.

IN AVDITORIO MAXIMO

HABENDAM

INDICVNT ATQVE AD EAM AVDIENDAM
PROCERES CIVES HOSPITES
INVITANT.

HALAE
FORMIS HENDELIIS.

Nomina propria inprimis corruptioni obnoxia fuisse satis superque constat, neque in litterarum tantum monumentis, quae librariorum opera propagata sunt, plurimos huius generis errores deprehendimus, sed etiam qui titulos vel descripserunt vel explicare studuerunt, haud raro ad eundem modum falsa specie decepti sunt. Itaque nunc lubet Thessalicas aliquot inscriptiones paucis illustrare.

Titulus *Pheraeus*, quem ex Leakio repetiit Ahrens de dial. Dor. add. p. **530**:

Ἀγλαΐς Ἱππολυτεία
ευκαθεαι

non in sepulcro. sed in donario inscriptus fuisse videtur, neque dubito, quin novissimum vocabulum una littera adiecta commode satis restitui possit in hunc modum:

Λευκαθέᾳ.

nam Inus sive Leucotheae religio per omnes Graeciae gentes propagata fuit, ut non mirum sit hanc deam etiam a Thessalis cultam fuisse. Neque nominis forma poterit offensioni esse, siquidem in Ionica urbe Teiorum festum huius deae *Λευκάθεα* dicebatur. vid. tit. apud Boeckh C. In. n. **3066**; item Lampsacenorum mensis *Λευκαθιών* appellabatur. (C.I. **3461**, B) quam formam non recte addubitavit C. Fr. Hermann de Mens. p. **68**. et **100**. Est autem *Λευκαθέα* antiquior forma, unde postea ortum *Λευκοθέα*.

Alium titulum item *Pheraeum* edidit Ussing Inscr. ined. n. **50**:

ΑΝΘΡΟΥΠΥΛΑ
ΑΝΤΙΚΡΑΤΕΙΑ.

ubi non recte quae arctissime cohaerent dissolvit *Ἄνθρου Πύλα*, interpretatus *Ἄνθρῳ*, sed ipse confessus et *Ἄνθρον* et *Πύλαν* prorsus ignota esse nomina. Potius ipsa illa mulier dicta est *Ἀνθρωπύλα*, ubi Thessalorum more *ου* pro *ω* est scriptum. *Ἄνθρωπος* nomen proprium Olympionicae Aristotelis philosophi auctoritate firmat

Suidas v. *Ἄνθρωπος*: item *Ἀνθρώπινος* apud Polyaenum V. 8 extat. Iam quemadmodum Lacones mulierem *ἀνθρωπώ* dicebant, non est mirum feminam *ὑποκοριστικῶς* *Ἀνθρωπύλαν* appellatam esse.[1]) Sunt autem haec nomina usu recepta eo tempore, quo vocabuli illius vis et significatio nondum fuit oblitterata. Ceterum hoc vocabulum non recte videntur Hartungo praeeunte Pottius Et. II, 45. ed. I et Curtius Et. Gr. I, 271 ab *ἀνὴρ* repetere, ut sit *ἄνθρωπος* idem quod *ἀνδρωπός*, neque Aufrechtius apud Kuhnium III. 240 [2]) recte origines explanavit, sed descendit ab eadem radice, unde dictum *δρωπάζειν* (quod *ἐμβλέπειν* interpretatur Hesych.) et *δρώπτειν* (*διακόπτειν ἢ διασκοπεῖν* idem Hesych., qui duo diversa vocabula in unum coniunxit); hinc etiam homo dictus *δρώψ* in Branchidarum versibus notissimis: unde Atticum nomen *Δρωπίδης* descendit. Cf. etiam Apoll. de Adv. p. 549, 22: *τὸ δρῶ σημαίνει καὶ τὸ ὁρῶ, ἀφ' οὗ καὶ τὸ δρωπάζειν καὶ τὸ δραπέτης ὁ ἐπιβλέπων τοὺς δεσπότας.*

Melitaeae urbis titulum satis antiquum exhibet Ussing 51.

ΑΛΚΙΜΑΧΟΥ
. ΕΚΥΟΝΑΘΕΝ

ubi scribendum videtur *Σεκυώναθεν* h. e. *Σικυωνόθεν*. *Σικυών* poterat a Thessalis *Σικυώνη* dici, quemadmodum illi *Δωδών* et *Δωδώνη*, *Ἰτών* et *Ἰτώνη*, *Γυρτών* et *Γυρτώνη* variare solebant. Litteram autem *E* in prima sede satis tuentur nummi Sicyoniorum antiquiores, in quibus extat *ΣΕ*. Adde praeterea Apoll. Dysc. de Adv. p. 555: *καὶ ἡ Σικυὼν Σεκυὼν παρὰ Σικυωνίοις.* Hesychius ex Laconica dialecto has glossas deprompsit: *Σεκούα· σικύα* et *Σεκουάνη* (scr. *σεκουάνα*)· *ἐλαίας εἶδος. Λάκωνες.*

Larissaeus titulus apud Ussing. 21. legitur:

ΑΥΤΟΝΟΕΙΟ
ΟΝΕΘΕΙΚΕ
ΤΟΝΠΟΤΕΙΔΟ
ΝΙΠΕΡΤΟΙΠΑ
Δ. ΞΑΥΤΟΝΟΟ

quem ille non satis recte sic supplevit: *τῷ Ποτειδῶνι ὑπὲρ τοῦ πατρὸς Αὐτονόου,*

[1]) Eiusmodi nomina haud infrequentia apud Thessalos, velut est in titulo Leakiano apud Ahrensium p. 530. *Ἀττύλα*, in titulo apud Ussingium n. 47., quem non recte cum alieno coniunxit, *ΑΓΥΛΑ*, ubi scribendum *Ἀγύλα*, quemadmodum *Ἀγύλος* et *Ἀγυλίδας* in usu fuerunt.

[2]) Quae Aufrecht in vol. V. denuo de hoc vocabulo disputavit, non vidi.

potius legendum . . . . *Αὐτονόειος ὀνέθεικε τοῦ Ποτειδοῦνι πὲρ τοῖ πα(ι)δ(ὀ)ς Αὐτονόο(ι).* Qui Neptuno hoc donarium obtulit, filium habuit avo cognominem secundum solemnem Graecorum morem. Deprehendimus autem in hoc titulo antiquum Thessalorum sermonem, id quod fugit Ussingium, itaque v. 3. *ΤΟΥ* scribendum pro *ΤΟΝ*, i. e. *τῷ*; deinde *Ποτειδοῦνι* sane pronuntiabant antiquitus Thessali, sed non opus est addita littera *Υ*, nam Thessali quando *ου* pro *ω* dicunt, videntur diu priscam scripturam *Ο* retinuisse. *Πὲρ* autem Aeolensium more dictum pro *ὑπὲρ*, de quo usu recte disputavit Ahrensius Dial. Aeol. p. 151. — Ceterum alibi quoque Thessalorum dialecti proprietatem non satis assecutus est Ussing, velut n. 24.

ΜΕΛΑΝΘΟΥ ΔΑΜΟΝΙΚΕΙΑ

non est dativus *Μελάνθῳ*, ut illi visum, sed mulieris nomen *Μελανθώ*: quod nomen ex Homeri Odyssea satis notum non offendit, nam Thessali prisca nomina virorum et feminarum, quae heroica aetate in usu fuerunt, libenter servaverunt, velut est apud Ussing. n. 32 *Εὐρυδάμας* et *Εὐρυδάμα*, 34 *Αἴθρα*, 8, 17 *Πολυξένα*, 8, 23 *Ταλαός*, apud Ahrens. p. 528 *Μύσκελος*. In titulo Larissaeo, quem Parisiis descripit cl. collega Conze, legitur *Δανάα Τοονειτεί(α)*. Item Larissaeorum hominum nomina arguunt apud Hippocratem Epid., velut V. 16. *Παλαμήδης*, ubi nolim cum Meinekio in Acad. Berol. nunt. menstr. *Πολυμήδης* substituere, V. 15. *Σκάμανδρος*.[3]) Solebant autem Thessali etiam alias verborum antiquitatem diligenter tueri, velut apud Ussing. 23: *Πουταλεία κόρα*, ib. 18, 6 *τοὺς φαμένους ἀπηλευθερῶσθαι* legitur.

Non magis verum assecutus est Ussing n. 25.

ΦΙΛΟΦΕΙΡΟΣ
. . ΑΝΔΡΕΙΟΣ

quod *Φιλόχειρος* scribi voluit, at est *Φιλόθηρος*, quemadmodum constat Thessalos *φῆρας* dixisse, non *θῆρας*. *Φιλόθηρος* nomen satis usitatum, velut est in Nicaeneti Samii epigrammate apud Athen. XV. p. 673. B:

Οὐκ ἐθέλω, Φιλόθηρε, κατὰ πτόλιν, ἀλλὰ παρ' Ἥρῃ
Δαίνυσθαι ζεφύρου πνεύμασι τερπόμενος.

[3]) Sunt alia nomina heroica apud Hippocratem, velut IV. 6 *Ἀχέλῳος*, quod nomen Meinekius etiam II, 2, 18. restituit, IV, 9 *Θέστωρ*, IV, 10 *Θέρσανδρος*, IV, 25 *Κέκροψ*, IV, 39 *Μίνως* (quod nolim cum Meinekio immutari), quae fortasse et ipsa Thessalorum hominum sunt.

Thessalis titulis subiungo Boeotum, ut mulieris nomen quod ibi extat singulare illustrem. Edidit C. Keilius in Sylloge Inscr. Boeot. n. XII., idemque titulus etiam legitur in Annalibus Inst. Archaeol. XX, p. 49, unde discimus in novissimis versibus plures litteras, in priore septem, in altero fere quinque intercidisse: itaque iam propterea improbabilia sunt Keilii supplementa, qui edidit:

Θεοκκὼ Ἑρμαίω ἰάρ[ια]
Ποτειδάωνι ἐμπυλήο[ι].

Mihi quidem videtur titulus ita redintegrandus esse:

Θεοκκὼ Ἑρμαίω ἰαρ[ητεύωσα]
Ποτειδάωνι ἐμπυλήο[ι δῶρον.]

Keilius *Ἑρμαίω* ad deum Mercurium retulit, qui sane in Thessalicis inscriptionibus *Ἕρμαος* nuncupatur, velut saepius legitur *Ἑρμάον χθονίον* (vid. Keil p. 76 et Ussing Inscr. Gr. n. 23.), qui dativi sunt Thessalorum more, non genitivi. Sed in hoc Boeoto titulo *Ἑρμαίω* manifesto est patris nomen, quod nomen haud infrequens est, vide Keil Spec. Onomat. p. 1. seq. Deinde *ἰαρητεύωσα* scripsi, de quo vocabulo ipse Keilius in Sylloge ad tit. XV. 6. disseruit. Nolui *ἰαρατεύωσα* scribere, quandoquidem evanida litterarum vestigia litteram *H* potius quam *A* produnt, atque haec recentior forma mature videtur in his regionibus usitata fuisse, quemadmodum est in Phocensium titulo ap. Boeckhium 1725 *ἱερητευούσας τᾷ Ἀθανᾷ.* Sane in antiquiore titulo Boeckh n. 1593. (qui circa Ol. CXVI. videtur scriptus esse) *ἰαρατεύοντος* legitur, sed haec inscriptio, quam redintegrare conatus sum, aliquanto recentioris aetatis videtur esse, hinc modo *αι* modo *η* ibi extat, atque ob id ipsum *ἰαρητεύωσα*, non *ἰαρειτεύωσα* scripsi. — In fine versus alterius *δῶρον* addidi, quoniam spatium vacuum neque *ἀνέθεικε* neque *ἔθεικε* videbatur admittere.

Nomen autem *Θεοκκώ*, quamvis sit solitarium, non est tentandum, licet facilis sit mutatio, quam Keilius commendavit *Θεοκλώ*: [4]) neque enim augustius nomen potest fingi, quam hoc ipsum *Θεοκκώ* i. e. *dei oculus*; descendit enim a vocabulo *ὄκκος*, quod Hesych.

[4]) Hoc nomen delitescit in titulo antiquissimo, quem mercenarii Graeci colossi femori in Nubia inscripserunt: *τοὶ σὺν Ψαμματίχῳ τῷ Θεοκλοῦς ἔπλεον*, ita enim interpretor, quod ibi extat ΘΕΟΚΛΟΣ. Aegyptiorum more non paternum sed maternum nomen additur; fuit autem Psammetichus ille Graeca matre natus Aegyptius, non ut homines docti existimant, Graecus Theoclis filius: etenim plane barbarum est *Θεοκλοῦς* pro *Θεοκλέος* vel *Θεοκλεῦς*, neque Kirchhoffius audiendus, qui hic ut alibi negligentiam scriptoris sibi videtur deprehendisse: at titulus quam maxima cura est exaratus. Verum de hoc titulo, qui res Aegyptiorum insigniter illustrat, dicetur alias.

testatur *ὄκκον ὀφθαλμόν*, eodemque referendum est verbum *διοσκεῖν*, quod olim Anacreonti (Fr. 3.) restitui. Nomen *ὄκκος* attigit L. Schwabe de demin. p. 84., sed parum recte censet pro *ὄπτος* dictum esse. Antiquissima forma fuit *ΟΚΙΟΣ*, unde diversa ratione non solum *ὄσσε* et *διοσκέω*, sed etiam *ὄκκος* (*Θεοκκώ*) profecta sunt, quemadmodum littera *I* subsequente diversae admodum mutationes praecedentium consonantium esse solent. Ceterum ipsa illius formae *ὄκκος* origo quomodo sit explicanda ambigi potest: etenim aut littera *I* in gutturalem mutata est, cuius mutationis alia quoque exempla satis certa in promptu sunt, [5]) aut *ὄκκος* per assimilationem ortum est ex *ὄσκος*, et *Θεοκκώ* ex *Θεοσκώ*, quemadmodum mulieris nomen *Δικκώ* (Corp. Inscr. n. 1794. addend.) fortasse ex *Δισκώ* est profectum. Patet autem assimilatio in Graeca lingua latissime: nam solet illa omnem asperitatem, quae ex concursu litterarum consonantium exoritur, tollere, ut etiam discrepantes inter se quam maxime similes reddat. In ipsas autem assimilationis causas nondum ea, qua par est, diligentia ab hominibus doctis inquisitum est: nam quod Pottio auctore duo potissimum genera discriminant, quorum hoc *progressivum*, illud *regressivum* appellant, ad externam magis speciem quam ad ipsam rei vim et naturam attinet.

Animus humanus, ea quae sentit, agitat, meditatur, sono significat, ita ut vocabula ipsarum rerum sensorumque sint quasi imagines quaedam et simulacra. Quemadmodum igitur in quoque vocabulo necesse est distinguamus *formam* a *notione*, ita etiam in quavis lingua probe discernenda sunt duo principia, quae maximam vim exhibent in fingendis vocabulis, quorum unum *logicum*, alterum *phoneticum* appellare possis. Iam assimilatio quidem fere a phonetico principio pendet, siquidem eo ipso consilio adhiberi solet, ut omnis cacophonia evitetur. Non tamen ubique licuit huic euphoniae studio dominari; nam est, ubi praevaleat logicum principium, ubi sensorum magis perspicuitas, quam sonorum elegantia servetur: ita fit, ut nonnunquam patienter ferat lingua concursum consonantium, quem alias diligenter evitare solet, aut adhibeat assimilationem, sed eam, quae non tam euphoniae, quam perspicuitatis studio conveniat.

Hoc si tenemus, discrepantiae, quae et inter Graecae linguae dialectos et inter Graecam Latinamque linguam intercedunt, commode possunt explicari. Mirum vulgo videtur, quod Aeolenses *ὄππα, γρόππα, ἄλιππα* [6]) dicere maluerint, quam *ὄμμα, γρόμμα* (*γράμ–*

[5]) Nam solum *γ*, sed etiam *χ* ortum est ex antiqua *I*, velut *ἀγρέω* et *πάσχω* docent, ut non sit mirum, si eodem modo etiam *κ* sit ortum: atque aliud plane simile exemplum deprehendi, sed nunc non suppeditat.

[6]) Vide de his verborum formis Etymol. M. p. 624. 19, p. 64. 40. Sappho fr. II. v. 11:

μα), *ἄλιμμα* (*ἄλειμα*) ut vulgo dici solet. At cum proprie dicendum fuisset *ὄπ-μα*, *γράφ-μα* etc., quod valde durum, Aeolenses assimilatione quidem usi sunt, sed noluerunt litterae radicalis vim obscurare, itaque huic eam litteram, a qua suffixum orditur, assimilaverunt, cum vulgo contrarium fiat. Fuerunt autem etiam aliae horum verborum formae, in quibus assimilatio prorsus est neglecta, ut *στέθματα* pro *στέμματα* (vid. Hesychius), et *γράθματα* pro *γράμματα* (vid. Cramer Anecdota Oxon. I. p. 102.), quae formae ad quam dialectum pertineant, nescimus: Aeolicae certe non sunt, nam Aeolenses *φ* pro *θ* solebant substituere, ut *φὴρ* pro *θήρ*, *φοίνα* pro *θοίνη*, non contra: at antiquissimae certe sunt hae formae, in quibus animadvertimus *logicum principium* praevalere. Nam temporis progressu fieri solet, ut magis magisque dominetur euphoniae studium, cum origines verborum sensim oblivione quadam obruantur. Idque magis etiam in vulgari populi sermone fieri solet, quam in lingua culta et elegante, quod cave mireris; nam vulgus grata quadam negligentia uti amat in pronuntiandis vocabulis, itaque multa sibi permittit, a quibus abhorret severior linguae usus; vulgus non veretur vel cum detrimento notionis vocabula corrumpere, dummodo facilis et rotunda fiat pronuntiatio. Hoc quilibet vel apud populares suos poterit animadvertere, et cadit idem etiam in Graecam et Latinam linguam. Et apud Graecos quidem Dorienses multo maiore licentia, quam reliqui, usi sunt in assimilatione adhibenda. Neque hoc mirum: nam illiterata gens fuit Doriensium, si cum ceteris comparaveris. Itaque, cum Aeolenses viderimus *logici principii* suo loco rationem habuisse, apud Dorienses praevalet *phoneticum principium*, multaque admiserunt, quae reliqui non probaverunt, quemadmodum Lacones dixerunt *πουμμὰ* pro *πυγμή* (vid. Hesych.), *ἀλλανὴς* pro *ἀπλανὴς* (vid. Hesych. s. h. v., qui *ἀσφαλὴς* interpretatur), alia. Cretensium urbs Lyctus apud incolas *Λύττος* vocabatur (Strabo X. p. 476); item *μικκὸς*, *Μικκύλος* pro *μικρὸς*, alia id genus dicebantur, in quibus omnibus facile vides assimilatione litteram radicalem oblitteratam esse.

ὀππατέσσι δ' οὐδὲν ὄρημι. Epigramma in Memnonis statua: *γρόππατα σαμαίνοντά τ' ὄσσ' ἐϋιδε κῶσσ' ἰσάκουσε.*
